

DE
PLEURITIDE
LEGITIMA.

Quam,

D. O. M.

AUTHORE & PRÆSIDE,

EX JUSSU, & AUTHORITY
Magnifici & Amplissimi Senatûs & Col-
legii Medici in antiqua, & cele-
berrima Basileensium Aca-
demia,

Pro SUMMIS in ARTE MEDICA
Honoribus, Insignibus, & Privilegiis
Doctoralibus, ritè ac legitimè
assequendis & obti-
nendis,

Omnibus ARTIS APOLLINÆ cultoribus
publicè examinandam proponit

PAULUS MOTH Flensburgo-
Holfatus.

Anno ÆRÆ CHRISTIANÆ M DC XXXVII.
die 27. Mensis Septembris.

horis & loco consuetis.

BASILÆ, Typis GEORGI DECKERI, Acad. Typogr.

GENEROSISSIMO,
MAGNIFICO HEROI,
DN. JOSIÆ RANZOVIO,
Copiarum apud Christianissimum Galliarum
Regem Campi-Duci Fortissimo & Feli-
cissimo, Meccœnati eximio &
suspiciendo.

NEC NON
*Prænobili, & antiquâ Profapiâ Splendi-
dissimo, Animi dotibus Eminentissimo, Virtutis
Insignibus Decoratissimo,*

DN. NICOLAO ab ALLFELT,
Fautori & Promotori Venerando.

UT ET
*Excellentissimo, Clarissimo & Expe-
rientissimo VIRO,*

DN. THOMÆ FINCKIO, Phil. &
Med. D. Medicæ Artis in Regia Hafniensi Aca-
demia P. P. Primario, Præceptori ac Pro-
motori summâ animi observantiâ
jugiter colendo,

Hanc solennem disputationem,

Observantiæ colendæ gratiâ,
Gratitudinis testandæ ergò,
debitâ animi submissione,

Dico, Consecro, Offero

PAULUS MOTH.



Σωὸ Θεῶ

DISPUTATIONIS
DE
PLEURITIDE LEGITIMA
THESES.

I.

Pleuritis à πλῆξι, i. e. membranâ succin-
gente costas, derivationem suam sortitur Latinis
appellatur morbus lateralis, vel costalis; dolor late-
ris. Apud Germanos vocatur Seiten-franckheit / Seiten-
stechen / Seiten-wehe.

I I. Vox Pleuritis sumitur vel Generaliter, pro omni
dolore pectoris, ex quacunque causa orto, & quacunque se-
dem occupante; vel Specialiter, pro eo doloris genere, qui ex
phlegmone pleuram, vel musculos mesopleuros internos obli-
dente oritur, unde propriè Pleuritici dicuntur, qui inflamma-
tione pleuræ laborant.

III. Definitur ita: Pleuritis legitima est Inflammatio, si-
ve tumor inflammatorius pleuræ utriusque, & adjacentium
musculorum mesopleurorum internorum, ortus ab influxu
sanguinis vel sinceri, vel permisti cum aliis humoribus, quem
comitantur individue dolor punctorius, febris continua &
acuta, tussis, respiratio difficilis, pulsus durus, frequens & in-
æqualis.

IV. Genus Pleuritis est inflammatio, quæ hic non su-

mitur 1. pro φλογώσι, i. e. insigni caliditate, aut incendio sine ullo tumore præter naturam: 2. neque pro tumore, qui à solo sanguine excitatur; sed pro tumore quovis calido, qui est vel Erysipelas Phlegmonodes, vel Phlegmone exquisita, aut erysipelatodes, rarius œdematodes, rarissimè scirrholes.

V. Subjectum, sive locus affectus genuinus 1. est pleura utraque. Duplex enim numeratur: altera interior & crassior, cujus superficies interna lævior, & veluti humore oblita; altera exterior, & tenuior, quæ est costarum periostium; inter quas venæ arteriæque præterlabuntur, sanguineque effuso inflammationem excitant. Verùm non tota semper afficitur pleura, sed modò ejus pars dextra, vel sinistra, modo superior ad jugulum, vel inferior ad hypochondria pertingens, modo anterior, vel posterior, de quo postea in differentiis.

VI. 2. Musculi mesopleuri interni, qui ferè semper in consensum trahuntur, cum membrana costas succingens, & hi musculi arctissimè sibi cohæreant, ita ut neque musculi sine membrana possint hoc malo corripì, neque membrana sine musculis queat affici.

VII. An verò simul pulmones afficiantur, haud sine ratione dubitavit *Clariss. Felix Platerus*, qui non solùm rationibus certissimis hanc suam sententiam evincere nititur, sed & experientiæ fidsissimo testimonio eandem comprobat. Vidit enim & spectavit in corporibus Pleuritide jugulatis pulmones affectos: in quo suum calculum eidem adjungit *Johannes Zechius in consul. med. cons. 26*. Quippe eò loci scribit, in pluribus corporibus post mortem dissectis ægrotantium, qui Pleuritide periisse judicabantur, non membranam affectam fuisse, sed pulmones cum sua membrana laceratos & corrosos apparuisse.

VIII. Verùm enim verò non in omni Pleuritide hæc opinio suam habere locum potest, sed in illa solùm, ubi superior pleuræ pars afficitur. Est enim pleuræ ibi cum membrana pulmonum per fibras multas magna communio: unde facile fieri potest, ut si sanguis in pleuram p. n. copiosius influat, etiam simul in pulmones effundatur. Aliàs vix, ac ne vix quidem pulmo afficietur, cum inferior pars pleuræ inflammatur, quia cum pulmonibus non connectitur.

IX. Quod

IX. Quod verò *Heurnius*, *cap. propr. pleuræ* *ἀμύξια* & *δυσπραξία* oculis non semper in cadaveribus Pleuriticorum scētis patere, scribit; distinguenda est Pleuritis, sive inflammatio pleuræ à dolore quovis lateris, seu pleuræ. Hic enim non tantum ab inflammatione, sed & ab humoribus & vaporibus malignis ac acribus, sine ulla inflammatione ortum habere potest. Quales lateris dolores etiam *Clariss. Sennertus* exploravit in morbillis infantium jam-jam erupturis, uti & in scabiosis, scorbuticisque; Quod testatur *l. 2. part. 2. cap. 16.* Forſan etiam fuit simplex dolor pectoris ille, cujus *Quercetanus* meminit, qui à vermibus in ventre & stomacho repertis *Ferrariæ* in *Xenodochio* originem traxisse observatus est.

X. Causa continens Pleuritidis est sanguis extra vasa effusus, isque vel purus, vel impurus, biliosus scilicet, pituitosus, aut melancholicus. Neque enim in vasis humores sinceros reperire, aut credibile est aliquem ex iis à massa sanguinea separari, & separatim pleuram invadere. Effunditur autem in dicta loca è vasis thoracis partes illas nutrientibus, ex furculis sc. & ramis venæ cavæ (etiam Arteriæ Aortæ) potissimum ex propaginibus intercostalis superioris, & venæ (arteriæ quoq;) *ἀφύγος*, id est, sine pari, propter vasorum istorum *ἀναστόμιωσιν*, vel *ῥήξιν*, vel *διαρρήξιν*.

XI. Est autem frequentissima causa Pleuritidis sanguis biliosus, quem pleuræ substantia densior ob tenuitatem & fluxilitatem facilius admittit. Unde Vere, & Æstate, vel etiam Autumno, propter bilis collectionem prægressam, plerumque grassatur, & quidem in juvenibus, atque proinde etiam in ea tertianos motus tum febris, tum dolor servant.

XII. Rariùs ergò est pituitosus sanguis. Quippe *Hippocr. teste, Aphor. 33. Sect. 6. Acidum eructantes raro Pleuritide corripuntur*, quia tales potiùs Diarrhææ & Lienteriæ obnoxii sunt. Sed sanguis Melancholicus in hoc affectu à *Galeno* modò introducitur; uti *de constit. art. 2.* modò excluditur, uti *l. de loc. affect.* Itaque humor iste, utpotè crassus, & ad fluxionem minimè paratus, per se hunc affectum non videtur posse excitare, nisi vel attenuetur, vel aduratur, vel cum ipso bilis concurrat.

XIII. *Carolus Piso* sanguinem non simplicem, sed sero-

multo prætereà dilutum, exposcit pro causa continente. Illum accensum ac ferventem febris esse conjunctam causam; ejus autem partem serosam duntaxat è vasis erumpentem, despumantemque effundi, & longè, lateque invadere in ipsum membranæ corpus, arctè se tenere, accurateque se defendere, ait.

1. Quia sanguis crassus, & lentus, non dilutus sero, in extrema vasa effusus à calore neque in vaporem aqueum, sudoris materiam, neque in tenues auras resolvi potest, cum tamen hi duo solutionis modi sint in salutari Pleuritide. 2. Quia simplex sanguis, & sincerus, extra sua conceptacula effusus, ad suppurationem tendit, aut malignam aliquam corruptelam nanciscitur, à quibus tamen periculis pleræque Pleuritides sunt immunis. Verùm hæc opinio *Caroli Pisonis* solum serum extra vasa effusum, non verò sanguinem extravasatum, ut Continentem causam Pleuritidis agnoscentis, vix tolerari potest.

1. Quia omnis inflammatio est affectus, sive tumor sanguineus. E. non solum Antecedens sed etiam Continens causa ipsius erit sanguis. 2. *Galen. 3. Aphor. 33.* scribit; aliam Pleuritidem esse cum flavis & rufis sputis; aliam cum spumeis; aliam cum nigris; aliam cum cruentis: unde ergò tanta oboriretur diversitas colorum in sputis, nisi semper alius humor præter serum extra conceptacula evomeretur? Serum itaque non solum, sed etiam cum sanguine aliisque humoribus extra dicta vasa egreditur, inflammationemque excitat. Omnes enim humores suum serum obtinent, quo non nisi in statu p. n. destituuntur. Argumenta, quibus ad id sibi persuadendum sese adduci scribit, non sunt usque aded magni momenti, facileque solvi possunt, uti penitiùs consideranti patebit.

XIV. Nonnunquam non tam sanguis venosus, sed potitiùs arteriosus ex arteriis dictis in membranas effunditur, inflammationemque excitando causa quoque continens hujus affectus existit. Unde maximas Pleuritides ex hoc sanguine evadere consentaneum visum est *Heurnio*.

XV. Causa Antecedens, materiam suppeditans, est vel Plethora, vel Cacoehymia, sita in toto, vel parte aliqua. Frequentissimè enim natura, animalis salutis intenta, humores vel quantitate, vel qualitate, uti etiam tenuitate, fervore & ἰσχυρισμῷ
peccan-

peccantes, si planè è corpore ejicere nequeat ob aliquam cau-
sam, vel ad ignobiliore partes, dum rectissimè agit, vel ad
aliam partem, sive nobilem, sive talem, quæ nobilem in con-
sensum trahere potest, propellit, & deturbat; sed tum sine suo
frustratur, corporique non parva incommoda accedunt: qua
de re egregiè sententiam suam protulit *Hippoc. l. 4. de morbis.*

XVI. Hanc causam Antecedentem maximè fovet Hepa-
tis aliorumque viscerum æstuosa, sive calida intemperies, im-
primis si ei comitem se præbuerit infirmitas, & imbecillitas
quædam laterum, maximè pleuræ, vel à primò ortu, vel à mor-
bo aliquo contracta, quæ præsens adesse à *Capivac. l. 2. c. prop.*
statuitur in iis, qui singulis annis Pleuritide corripi solent.

XVII. Causæ Procararticæ, quæ vel accumulandis hu-
moribus ansam præbent, vel impetum eorundem promovent,
variæ esse possunt. Aër vehementer calidus, uti etiam impen-
sè frigidus; ille quidem sanguinem attenuando, tunicasque
vasorum rarefaciendo; hic verò densando & exprimendo:
Unde etiam Aquilonia aëris constitutio ab *Hipp. Sect. 3. Aphor. 5.*
costarum dolores, & pectoris excitare traditur. Potus aquæ
frigidæ copiosus, maximè post defatigationem, & sudores, po-
tatio musti, & vini generosioris, ingurgitatio ciborum calidio-
rum, aromatibusque conditorum; suppressæ sanguinis con-
suetæ evacuationes per menses, hæmorrhoides, hæmorrha-
giam narium; uti etiam detentio humorum vitiosorum, qui
ad articulos depelli, vel per ulcera inveterata evacuari sole-
bant; exercitatio nimia, cursus, saltus, venus immoderata,
somnia & vigiliæ nimix; affectus immoderatiores, imprimis
excandescencia. Huc etiam faciunt quàm maximè ictus, ca-
sus, percussio, & contusio pectoris, portatio oneris gravioris,
venena, ut lepus marinus, &c.

XVIII. Verùm in productione hujus morbi non opus
est semper tanto apparatu causarum enarratarum; quippe sæ-
piùs Epidemia existit Pleuritis, imò & contagiosa, maligna-
que; quâ ratione more aliorum morborum Epidemiorum
cognoscer aliquam causam communem; aërem sc. in quo ho-
spitatur illud *Hi, pocr. τὸ θεῖον, q. Divinum*, aëri aliquid impres-
sum præter morem, ubi continens res pro contenta à Divino

Sen e

Sene indigitatur. Quare tunc temporis etiam non aliter quàm divino remedio, i. e. Antidoto hoc malum profligari potest. Ita refert *Gesnerus* suo tempore Pleuriticos quosdam venâ sectâ exspirasse, at Theriacâ potâ redintegratos fuisse.

XIX. Quod autem illa *νοσος à iunioris*, in aëra dispersa, solum pleuram vel pulmones afficiat, aut saltem humoribus talem qualitatem imprimat, ut in pleura tumorem excitare valeant, mirum alicui videri non debet. Videmus enim venena alia aliis partibus esse infesta, quamobrem etiam à superiore illa causa humoribus occulta & maligna quædam *διὰ βίτης* imprimi potest, quæ nunc huic, nunc illi parti potest esse infensa. Sic Pleuritides grassabuntur, si illud *τὸ δεινόν* convenientiam habuerit ferè cum veneno leporis marini: Sic Dysentericæ exorientur, si fuerit facultatis Helleborinæ, aut Scammoniata: Sic Anginæ dominabuntur, si vitriolatam & strangulatoriam qualitatem nanciscatur.

XX. Differentiæ Pleuritidis nunc explicandæ sunt: 1. à Loco affecto, & doloris situ. Alia est Ascendens, cum dolor ad superiora jugulum versùs extenditur; alia Descendens, cum viam legit versùs hypochondria; alia Dextra, quæ est in dextro latere; alia Sinistra, quæ est in sinistro latere. Interdum etiam quædam dorsum magis occupat, cujus mentionem facit *Hipp. l. 3. de morbis*. Quædam versùs anteriora se protendit.

XXI. 2. à Forma. Alia est Legitima & Exquisita; alia Illegitima & Spuria sive Notha. Hæc est, quotiescunque vel muscoli externi thoracis, vel pericardium, vel septum transversum, inflammatione laborant: Illa dicitur, cum membrana costas veras succingens unâ cum musculis internis mesopleuris tumore hoc inflammatorio corripitur.

XXII. 3. à More. Alia est Benigna & Mitis, quæ non habet Symptomata supra suæ naturæ conditionem: alia Maligna, quæ vehementiora infert symptomata, quàm ejus fert natura.

XXIII. 4. à Causa Efficiente. Alia oritur à Sanguine simplici, cum multo sero rament diluto; alia à Bilioso; alia à Pituitoso; alia à Melancholico sanguine.

XXIV. Ad Signa jam progrediendum est, quæ sunt vel

Dia-

Diagnostica, vel Prognostica. Diagnostica iterum sunt vel Pathognomonica, vel *συνεργεῖοντα*, i. e. Asfidentia.

XXV. Signa Pathognomonica numero sunt quinque in definitione posita, quibus, ceu notis certissimis, hoc morbi genus circumscribitur, ut non facilius sit (sicut *Pisoni* placet) ex literarum conjunctione vocabulum formare, quam ex quinque illorum symptomatum *συνδρομῶν* designare Pleuritidem. Sunt autem 1. Dolor lateris acutus, & punctorius, quia distenditur membrana exquisitissimi sensus à materia acri. 2. Febris Continua, Acuta, tum ob ipsam phlegmonem, tum ob cordis viciniam. 3. Respiratio difficilis, frequens, parva; cum instrumenta respirationi dicata satis distendi nequeunt ratione doloris, & inflammationis. 4. Pulsus durus & ferratus; propter tensionem arteriæ, & membranæ duritiem. 5. Tussis molesta, ob irritationem & transudationem, quæ initio sicca est, cum à loco inflammato parum exit, postea humida evadit, materiâ copiosiore penetrante. *Gal. 4. de caus. Puls. 8.* his annumerat dolorem capitis, utpote in omni Pleuritide confectaneum, sed signum commune est.

XXVI. Signa *συνεργεῖοντα* sive Asfidentia sunt 1. Dolor, quòd alius modò ad jugulum, modò ad hypochondria tendat; quòd noctu magis ingravescat, secundum *Hippocr. 3. de morbis.* 2. Tussis, quòd ab initio sit sicca, in progressu morbi humida cum sputo cruento & purulento. 3. Decubitus, quòd aliàs æger faciliùs in latus patiens decumbat, quàm in opposito, quia tunc pleura affecta extenditur, quam extensionem sequitur dolor acerbior; aliàs decubitus super dolente parte magis molestus esse solet, si periostium afficiatur, ut asserit *Capivac. l. 2. c. prop.* Sic etiam sitis, rubor genarum, inquietudo, delirium *συνεργεῖοντα* sunt.

XXVII. Signa Prognostica vel sunt Salutaria, vel Insalutaria, & Funesta. Salutaria sunt, Si sputum statim appareat in initio, i. e. intra tres dies, juxta *Hipp. aphor. 12. sect. 1. Si flava bilis sputo admodum admixta appareat inter initia, 2. prognost. 44.* Si terminetur per materiæ vel *ἕννεσιον*, i. e. excretionem per sputum, vel *διαφύρσιον*, i. e. discussionem; vel etiam *μελέσσιον*, i. e. translocationem ad articulos, & glandulas: Si accesserit fluxus sanguinis, vel è naribus, vel hæmorrhoidum, aut mensium, sed in die

critico, & post signa coctionis accidere debet: Si circa initia lingua biliosa est, quia hi intra septimum judicantur.

XXVIII. Infalutaria signa Prognostica sunt, si Pleuriticus expuerit sputum flavum, sincerum, album, glutinosum, ac rotundū. 2. Prognost. 46. aruginosum, vel admodum viride, & spumosum. 2. Prognost. 47. Nigrum verò & sincerum longè pessimum est. 2. Prognost. 48. Si intra quatuordecim dies Pleuriticus supernè per sputum non repurgentur, is in Empyema fit transmutatio. 5. aphor. 8. Si pulsus summopere durus sit, vel præterea etiam parvus, atque ob calorem frequentissimus; quippe Pleuriticum cum tali pulsu nullum sanatum fuisse Galen. 4. de prasag. ex pulsu c. 5. testatur. Si Diarrhœa supervenerit. Hipp. 6. aphor. 16. Si Peripneumonia supervenerit. 7. aph. u. Si Pleuriticus dolor ex sputis biliosis absq. ratione evanuerit. 3. paribet. text. 5. Si densa & exercitationi dedita corpora Pleuritis exceperit, in Coac. Si acciderit prægnantibus: Si terminaverit per suppurationem. 5. aphor. 15. Si abiverit ad putrefactionem & gangrænam.

XXIX. Indicationes nunc explicandæ occurrunt, quæ sunt vel Curatoria, vel Præservatoria, vel Vitalis. Præservatoria desumitur à causa Antecedente, i. e. à materia, quæ affluxura est, aut jam affluit, quæ est omnibus modis revellenda. Curatoria desumitur à causa continente, quæ vel jam influxit, sed in venis partis adhuc fluctuat, nondumque impacta est, hæc derivanda, (repellentibus enim nullus locus) vel influxit, & parti impacta est, hæc discutienda; aut si id fieri non potest, maturanda, concoquenda, & per tussim ac sputum evacuanda. Symptomata etiam quædam urgentia sui remotionem postulant: uti dolor, cui per Anodyna potissimum occurrendum est. Sic etiam febris non negligenda est, sed eî necessaria remedia adhibenda. Vitalis indicatio respicit vires, quarum ratio ut habeatur, victus conveniens est præscribendus.

XXX. His Indicationibus uti satisfaciat, præsidia sumuntur vel ex Chirurgia, vel Pharmacia, vel Diæta.

XXXI. Ex Chirurgicis remediis ad hoc malum extirpandum potissimum locum tenet venæsectio, quæ maximè necessarium, & tutissimum Pleuritidis omnis est auxilium, summumque ægro commodū adfert, nisi fortè sanguis per arterias

terias fluxerit, quo tempore non satis juvat venæ sectio. Circa venæ sectionem notanda 1. *Quibus administranda.* 2. *Ubi.* 3. *Quando.* 4. *Quantum.*

XXXII. *Quibus?* Arabes pueris etiam trimis, vel sextum, aut octavum annum agentibus venam aperire non reformidarunt. Verum nimis infamant magnum hoc remedium in corporibus ob mollitiem ac raritatem aliàs insignem dissolutionem patientibus. Itaque vix ante decimum quartum vena tundenda est, nisi morbus valde urgeat, & puer pleno sit corporis habitu. Senibus venam secare religio sit, propter innati caloris defectum, & vires imbecilles, in quibus tamen vires non annorum numero, sed robore ac corporis habitu æstimandæ sunt. Mulieribus prægnantibus hoc morbo correptis magna cum cautione vena secari debet; cum scilicet Plethorica fuerit, nimiaque copia sanguinis abundarit, ne aliàs subtrahatur foetui alimentum, atque proinde abortus procuretur.

XXXIII. *Ubi?* Hic locus controversus est, de quo non solum Græci & Arabes, sed & superiori seculo Itali, Galli, Hispani, Germani adeò acriter contenderunt, ita ut ad Magistratum ea res delata fuerit, quo Principis autoritate & gladio tumultuosæ disputationes sedarentur. Omnium hîc dignissima quæstio agitur; An vena affecti lateris potiùs, quàm oppositi in initio Pleuritidis revulsionis gratiâ sit aperienda? Posterior sententia probabilior esse videtur, quia revulsio debet fieri ad remota & contraria, ut *Hipp. de ossib.* docet. Jam si in opposito brachio vena aperiatur, sanguis, qui ad affecti lateris venas & per eas in partem affectam fluxurus erat, in contrarium satis remotè sine periculo trahitur; quandoquidem vena talis aperiatur, quæ nullam communionem cum parte affecta, i. e. cum venis ejusdem lateris habet, id quod in derivatione est necessarium, sed quæ cum parte mittente, i. e. trunco venæ cavæ communicationem obtinet. Contrà si in initio præsentis plenitudine vena in eodem latere aperiatur, sanguis potiùs ad partem affectam, jam debilem, dolentem & calentem attrahitur, quàm ab ea revellitur; quia plus sanguinis est inter latus oppositum & locum affectum, quam inter locum affectum & brachium loco affecto vicinum. Neque tamen hîc τὸ ἀπὸ τῆς ἰσχύος, i. e. recitudo

negligitur. Hoc enim non solum secundum longitudinem corporis, sed etiam secundum latitudinem observari posse, clarè docet *Galen. in comm. ad lib. Hipp. de fract. text. 10.* Sed etiam hæc sententia ita limitanda est; Si in principio morbi vocetur Medicus, tunc omnino vena oppositi lateris secunda est: Quòd si verò inflammatio progressa fuerit, in qua etiam non adest magna sanguinis abundantia, nec magnus amplius affluxus, statim in loci affecti latere venam aperire licet. Mulieribus mensium, aut viris hæmorrhoidum suppressionem patientibus, Pleuriticis correptis, vena poplitis, vel tali, secari debet, sed si evacuationes repente suppressæ fuerint, quarum materia manifestè ad superiora tendit: aliàs in suppressionibus antiquis à vena brachii curatio inchoanda, maximè si tempus mensium non inster.

XXXIV. *Quando?* Statim ab initio quamprimum indicantis sanguinis præsentia adest, & nihil prohibet. Cùm enim sanguis vel revulsionis, vel derivationis gratià mittitur, & revulsio humori fluenti debeat; fluxio autem fiat in principio, sanguis statim in initio morbi, quacunque diei horâ, mittendus est. Veteres teste *Galen. 3. Epidem. Comment. 3.* non mittebant sanguinem post quartum diem. Verùm & hîc certus dierum numerus observari nequit. Quando enim quarto die nondum materia per spurum expelli incipit, corpusque est valde plethoricum, etiam post quartum diem venam secare fas est, uti *Hipp. 3. Epidem.* Anaxioni die octavo venam aperuisse legitur.

XXXV. *Quantum?* Sanguinis copia, & virium robur, id determinabit. *Hipp. 2. de rat. vict. in acut. text. 10.* vacuationis modum statuit esse coloris in sanguine mutationem. Verùm id tantùm locum habet, cum in eodem latere derivationis gratià sanguis mittitur, non verò cum in opposito revulsionis gratià: quamvis nec ille terminus in sectione ejusdem lateris est semper exspectandus, cùm ægri vires infirmæ sunt, habitus corporis mollis & tener, qui facilè resolvitur, & cum tempus anni adest admodum calidum.

XXXVI. Chirurgicum auxilium suppeditant etiam cucurbitulæ scarificatæ, quæ, si vicariæ sunt venæ sectionis, in principio applicari possunt, non dorso aut thoraci, sed lumbis, vel

vel brachiis, ut fiat revulsio & derivatio: Si propria ratione considerantur, ut auxilium topicum, post evacuationem totius, etiam ipsi thoraci ad moveri debent pro evacuatione determinata. Unde Aëtius *tetrabib. 2. serm. 4. c. 68.* post septimum diem dolore persistente cucurbitam lateri affixam cum scarificatione manifestissimam in Pleuritide utilitatem adferre affirmat.

XXXVII. Ad Chirurgiam referri possunt frictiones, & ligaturæ, quæ magnam etiam revellendi vim habent, atque proinde, præter sectionem venæ, etiam ad ista genera revulsionum veniendum est.

XXXVIII. Tandem in Pleuritide, in qua abscessus ad interiora rupturus periculum suffocationis vel Pthiæos minatur, Chirurgia sectionem pro evacuatione materiæ instituire docet, quæ debet fieri in loco ubi vomica continetur, qui colligitur ex pondere, dolore, & calore loci, atque is intra duas costas eligendus, ferro adacto leniter & paulatim donec pus exeat.

XXXIX. Ad materiam remediorum, quæ nobis suppeditat Pharmacia, nunc deveniendum: Suntque vel Universalia, vel Particularia.

XL. Inter Universalia, purgantia principatum merentur: At non in omni Pleuritidis dolore, sed in eo, qui descendit ad partes sub septo transverso contentas, secundum Hipp. 2. *de rat. vict. in Acut. text. 10. 11.* Neque hinc semper, sed si non adest prohibens, i. e. febris vehemens. Initio autem (præmissâ tamen sanguinis missione) humores, qui in vitio sunt, & in latus vel jam fluunt, vel saltem ad fluxionem parati sunt, purgandi; quia eo tempore maximè averfio desideratur: postea ubi morbus viget, & humores à natura coquantur, melius est quiescere. Verum illa medicamenta non sint fortia, sed mitia & lenia: qualia sunt, Tamar. Cassi. Mann. Syrup. ros. & viol. solutiv. Mel. viol. solutiv. quibus addi possunt fortiora, potissimum post humorum concoctionem, Rhabar. Mechoac. sol. sen. Agar. Iris. è Compos. Diaprun. Diacathol. Diaphœn. Nonnulli quocunque humore redundante exhibent ol. amygd. dulc. aut lini, quibus facile alvus sine molestia moveri expertum est.

XLI. Diuretica quantam vim habeant in revellentibus Hipp. testatur l. 5. 2. *coac. sent. 36.* quando ait: *sudores & urinas in*

Pleuritide probè fieri bonum esse & salutare. Sint autem illa pectori familiaria. v. g. Decocta ex capillar. herb. Hyssop. Orig. sem. Urtic. Bombac. flor. Tusfil. oxym. Syr. de Hyssop. Ex his formulam talem præscribit Sennertus prop. cap. 8. Rad. Aperit. in vino macerat. Glycyrrh. añ. ʒj. sem. 4. frig. major. añ. ʒß. Adianth. M. j. cicer. rubr. M. ß. coq. in ʒ. q. aq. puræ ad dimidiæ partis consumpt. colatura saccharo edulcoretur.

XLII. Inter hæc Clysteres abstergentes & lenientes ferè anteponendi sunt, qui ita commendantur, ut cum opinione quorundam excusare possint venæ sectionis, nedum purgationis defectum. Hi autem pro varietate noxiæ materiæ, vel frigidioris vel calidioris, leviores aut aciores præscribi debent.

XLIII. Particularia, quæ respiciunt ipsam continentem causam, & humorem inflammationem excitantem, vel sunt Anodyna; vel Specifica, i. e. peculiari vi Pleuriticis utilia; vel Expectorantia; vel materiam insensibiliter Discutientia, vel Maturantia.

XLIV. Anodyna vel ante venæ sectionem adhiberi debent, vel post venæ sectionem. Priora debent esse lenia, & moderatè discutientia; quibus *lateris dolorem primò tentare dissolvere non absurdum esse Hipp. 1. de rat. vict. in acut.* scribit; unde *aquam calidam & milium* applicare docet, quomodo etiam lac commodissimè in vesica applicari potest. Sed *Galen.* horum usum, *6. Epidem. comment. 3. text. ult.* limitat; si scilicet, Pleuritis exigua & levis sit, neque à magno humorum affluxu oriatur, tum levia fomenta adhibere convenit. Quòd si ergò à fomentis dolor augeatur, atque acerbior evadat, tunc statim à fomentis desistendum, quia signum adest majoris humorum copiæ, quam quæ per fomenta ista lenia discuti potest. Quæ verò post venæ sectionem, aut saltem alvi emollitionem, adhiberi debent, sunt calida in primo & tenuium partium, uti ol. Anethin. Chamæm. Fœnugr. Quibus Anodyna densantia & humida succedere debent. Malv. Alth. Amygd. dulc. Hydrelæum. Farin. Tritic. Panis Tritic. mediocriter coctus. Omentum vel Castrati, vel vituli, vel suis. Frigida & Opiata *Gal. text. 33. l. 1. de rat. vict.* in Pleuritide improbat; nec enim sanant, sed sensum tollunt, & sunt in causa, ut respiratio difficilis evadat.

XLV. Spe-

XLV. Specifica (quæ etiam humores dissipandi & discutendi vim habent) sunt Flor. Papav. rhead. Dens Apri, Cinis priapi tauri. Rafura pudendi cervi. Card. Mariæ. cortic. avellan. rubrar. ocul. cancr. Mandibulæ Lucii cum dentibus. Corall. rubr. &c. Principis Hassiæ Wilhelmi ex istis hoc experimentum fuisse perhibetur. ℞. Unic. C. C. usti. Perlar. corall. rubr. oculor. cancr. oculor. Lucii. Lapid. Percar. añ. ʒj. pulverisata omnia misc. Dos. quantum duabus vel tribus cultri cuspidibus capi potest in aq. prunor. Sylvestr.

XLVI. Expectorantia alia sunt Incrassantia, quæ humores tenues ad mediocritatem ducunt: qualia sunt Rad. Alth. Flor. violar. jujub. Sebest. Syrup. violar. jujub. de Papav. Loch. de Pssyllio, &c. Alia sunt Attenuantia, quæ crassos humores attenuant, viscidos incidunt, adhærentes abstergunt; qualia sunt Hydrom. Oxym. Hyssop. Capill. Vener. Scabios. Syrup. Capill. vener. de Glycyrr. de Farfar. de Hyssop. Loch. de Prass. de Farfar. de Scill. &c.


XLVII. Quæ insensibiliter resolvunt vel sunt Interna; inter quæ admirabile præsidium dicitur præbere aq. è flor. chamæm. destillata ad ʒ iiii. cū Sacchar. ʒ β. vel ʒ j. exhibita; vel sunt Externa, eaquæ vel Mitiora: v. g. ol. dulc. violar. Amygd. dulc. mucilag. Sem. Alth. Cydon. Adeps Suill. Gallin. Ung. de Alth. vel sunt Fortiora, quibus in validioribus, thorace jam à materia per expectorantia maxima ex parte expurgato, uti licet: qualia sunt Sal. Dictamn. Cretic. Ruta: Galban. Lepid. Sinap. &c.

XLVIII. Denique si phlegmone in pus mutatur, curandum 1. Ut maturetur, cui scopo maxime convenit Emplast. *Benedict. Faventin. quod Forestus commendat l. 16. observ.* 2. Ut abscessus rumpatur, quod obtinebitur voce intenta, volutatione de latere in latus, tussu, vomitu, sternutatione & bechicis. 3. Ut abscessus ruptus detergatur Hydromel. decocto pectoral. 4. Ut consolidetur conferv. ros. mediæ ætatis, thure, bolo, terr. sigill. Quibus duabus posterioribus intentionibus sufficit solum *lac chalybeatum*, nisi febris ejus usum prohibeat.

XLIX. Febris etiam in hoc morbo ratio haberi debet, cui per alterantia convenientia est occurrendum, quæ vel seorsim usurpari possunt, vel una cum dictis medicamentis. Si verò febris

febris hæc maligna fuerit, uti fit in Epidemia Pleuritide, utile est statim ad sudorifera, & Bezoardica confugere.

L. Ultimò tandem Diætæ ratio explicanda est, quæ in Pleuritide, ceu morbo acuto accurata esse debet, & qualis acutis convenit, de qua pluribus Hipp. 1. de rat. vict. in acut. Itaque Aër sit temperatus. Victus tenuis, qui primis diebus sit ptisanæ succus: deinde cremor ptisanæ, jura gallinar. cum ovi lut. Amygd. & Pinei. Denique ad ova, carnes coctas & affas pul. lor. gallin. deveniendum, cui potus jungatur ex aq. hord. decoct. Cinam. Glycyr. Mulsâ sed dilutiore. A Vino profus abstinendum. Vitanda omnia acida in cibo & potu, uti & salsa; fauces exasperantia & adstringentia. Somnus vigiliis sit longior. Motus animi & corporis vehementiores vitentur. Tantum de Pleuritide.



Ζητήματα.

- I. An in Vulneribus thoracis cavitatem penetrantibus sanguinis spumosi per os copiosa relectio, & prodiens e vulneris foramine aër, atq; admota candela flammam exstinguens, sint Pathognomonica signa lesi pulmonis? N.
- II. An in Vulneribus carum thoracis ingredientibus, factâ primâ copiosâ per os sanguinis ejectione, quam ipsa natura sponte molita fuerat: deinde instituta per Chirurghum largâ, pro revulsione, Phlebotomiâ, statim ad παρακλισην, ceu ultimum asylum, sit confugiendum, si sanguinis adhuc portio in ejusdem cavitare sit relicta? N.
- III. An in iisdem Vulneribus ab ipsa παρακλιση, propter lesionem venarum intercostalium, unde largissima hemorrhagia excitatur, non plus damni evenire possit, quam à vulnere antea inflicto? A.
- IV. An in παρακλιση instituta, sanguis fervidus, fluidus, & in grumos non coactus, egrediens sit ille ipse sanguis, qui ex vulnere ante triduum inflicto in cavitatem ipsam influxerit? N.
- V. An Vulnerati ad capacitatem usque thoracis illico Prognosticis solùm sint relinquendi, accedentibus sc. copiosâ sanguinis per os relectione, & in παρακλισην imperatâ largissimè effluente florido & purissimo sanguine? N.

Τῶ Θεῶ μόνῳ δόξα.